



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 74. Sessio XXXIV. Basileensis Synodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. LXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1439.*Sessio XXXIV Basileensis Synodi.*

Ergo Basileenses in sessione trigesima quarta die vigesimo quinto Mensis Junii de exauctorando summo Pontifice agunt, & juxta citationem antea decretam, atque affixam, adversus ipsum depositionis sententiam ferunt. Huic Sessioni intererant triginta novem Præsules insulis insignes, inferioris autem ordinis Clerici omnino trecenti (*). Eugenius cum per duos Episcopos iterato vocatus, non comparuisset, contumax judicatus

K k 4 ac

(*) *Unde tot insulæ!* exclamat Spondanus, cum in veritatum promulgatione vix, viginti intervenisse viderimus. An & hic Arelatensis aliqua arte, ut tunc, usus ad numerum amplificandum? Certum est potissimum eorum partem duntaxat Abbates fuisse, cum Cardinalis Turrecremata, qui præsens aderat, solum octo vel novem Episcopos interfuisse memoret, & hos omnes Eugenio vel ob denegata officia ab eis ambitiose concupita, vel ob castigata eorum crimina summopere infensos. Ceteri omnes, inquit Turrecremata cum innumeris aliis Historicis, Episcopi cum Cardinale Tarraconensi & Regum ac Principum Oratoribus sacrilegæ eorum Sessioni contradicentes non interfuerunt.

Sæcul. XV. ac vi atque auctoritate Concilii Constantiensis, poena depositionis affectus est.

A. C. 1439

§. LXXV.

De depositione Eugenii Papæ.

Labbe Conc. gen tom. 13. p. 619. In hac sententia omnes Christi fideles ab Eugenii obedientia absolvebantur, simulque prohibebantur, ne eidem amplius tanquam summo Pontifici adhererent, sub poenis hæresis ac schismatis, necnon privationis omnium honorum, beneficiorum, ac dignitatum. In hoc Decreto Eugenius, quem deinceps nonnulli Gabrielem ab illo, quod ante Pontificatum gesserat, nomine appellabant, designabatur, ut pacis & unitatis Ecclesie perturbator (*) Simoniacus, perjurus, incorrigibilis, schismaticus, hæreticus, in errore pertinax, jurium & bonorum Ecclesie dilapidator, & ad Romani Pontificatus administrationem non modo inutilis, sed & perniciosus. Insuper subigere non dubitabant Basileenses, Eugenium *omni titulo, gradu, honore, & dignitate se reddidisse indignum.* Hæc Sessio ut

(*) Nempe ab Amadæo Sabaudie Duce Pontificatum ambiente ex industria ad Concilium missi, ut ingenue fatetur Æneas Sylvius apud Gobellinum Comment. lib. 7.